

foluere iniungunt<sup>5)</sup>. Ex vniuerso tamen imperii iure manifestum est, Principibus non competere facultatem augendi<sup>6)</sup> aut e loco in locum transferendi nauiculariam functionem, nisi commoda statio sumtibus publicis facta nouam pensionem flagitet. Pro sumtibus enim in commodum nauigationis erogatis modicam functionem statui et exigi posse, indubitati iuris est. Quae quidem omnia iura finibus territoriorum coerceri, equitibus tamen imperii eundem in modum, atque aliis territoriorum dominis tribui debent<sup>7)</sup>. Sed quaestio oriri potest in amne, qui duorum pluriumue territoriorum limitem constituit, vtrum nautis promiscuus vtriusque ripae vsus concedatur? quod equidem fieri oportere responderim. Nautae enim hoc iure vtuntur per omnia territoria, ideoque nihil refert, quis sit riparum dominus, modo in omnibus locis functionem nauiculariam subeant. Itaque licebit etiam nauiculariis ab vna ripa transilire ad alteram, prout necessitas aut utilitas suaserit.

Fieri etiam in Germania potest, vt Princeps in vicino territorio iura exercent, quas seruitutes iuris publici vocamus. ENGELBRECHTIVS qui late de his ipsis differuit, nullam quidem seruitutem attulit, qua ius vehendi nauem per territorium alienum, habendique semitam nauigiorum trahendorum causa in ripis alieni territorii continetur, sed tam ex tabulis medii aevi, quam ex monumentis actisque Principum imperii nouis tales dari seruitutes intelligimus<sup>8)</sup>. Modos

B 2

qui-

5) RVDOLPHVS II. tabulis anni 1556. cauet: Demnach der Rhein als ein freier Wasserstrom, auch unsre freie kaiserliche Landstraßen einem jedem seiner Gelegenheit nach, auf Entrichtung gebürlicher Müht, Zoll und Aufschlag, nicht allein vermöge aller natürlichen geschriebenen Rechten, sondern auch des heiligen Reichs aufgerichteten Constitution, Ordnung und Satzung ohne das unversperrt bleiben, und daran niemanden wider die Billigkeit beschwert, verbindert noch aufgehalten werden soll.

6) cf. Capitulatio Caesarea Art VIII. vt plura alia loca taceam. Exemplum nouissimum praebet REVSS. deutsche Staatskanzley T. VI. num. 10.

7) cf. PFEFFINGER Vitr. Illustr. Tom. III. pag. 1469. KLIPSTEIN diff. de dominio Rheni. Giessae 1749. 4.

8) Insigne exemplum hodieque in Moeno obuium exposuit VIR EXCELL. DE GATZERT de dominio Moeni 1771. 4.